

tanto terrore sunt perculsi, ut omnes jam Regni concursus suspectos habeant, semper veriti, ne de illis ad rationem Tyronum denuo comprehendendis delibetur. Unde porro fit, ut fuga e vestigio se subducentes aut ad ditiones Turcicas emigrent, aut in Sylvis latitent, imo et in Dominos, et in persecutores suos (uti recentia nuper exempla testatum faciunt) tantopere sint animati, ut vulnera etiam, ac tantum non necem inferre haud formident: Quapropter determinarunt DD. SS. et Ordines, ut Tyronum Militum statutionem praestari ab illis sine desolatione Patriae amplius haud posse Suae Majestati Sacratissimae de genu repraesentetur. Cujus quidem repraesentationis tenor sequitur in haec verba.

Qualem quantamve sive secundorum sive sinistrorum atrocis hujus, quod Europam triennio jam fatigat Belli successuum partem pro tenerimo nostro in Causam publicam studio capiamus, tot hactenus indiciiis palam facere studebamus, quot occasiones, bene de Majestate Vestra Sacratissima merendi se obtulerunt; ac secundis quidem prosperisque rebus, ardentissimam Deo omnipotenti gratiarum actionem, cum alias semper, tum ob reportatam nuper insignem de hoste Victoriam, persolvere non intermisimus; quod si vero aliquando (ut varia est inconstansque belli fortuna) sive ancipiti proelio dimicatum, sive insperato eventu pugnatum est, sane tam prompte vires operamque nostram in sublevamen nutantis aut laborantis Causae publicae contulimus, ut necessitatis magnitudine adducti, amplius etiam, quam per vires liceret, tum iterata Tyronum Militum statutione, tum gratuita aeris parati suppeditatione audere praestareque conniteremur.

Homagialium ejusmodi obsequiorum nostrorum memoria poterat quidem spem nobis omnem adimere, occasione hac, qua gravem tum aerarii Majestatis Vestrae Sacratissimae necessitatem, tum Exercitus Caesareo Regii diminutionem in duplici Benigno de dato 21. Mensis Augusti emanato rescripto nobis significatam intelleximus, paria audiendi; quando tamen causam publicam non uno in loco in summum discrimen adductam nobiscum reputavimus, tanto accensi sunt animi omnium in Clementissimam Principem devotionis ardore, ut non quid per vires, quas profecto exhaustas sentimus, liceret, sed tenuitatis Nostrae prope obliti, unice quid salus publica, quid homagialis Nostra in benignissimam Dominam pietas a nobis postulet, spectare sustineremus.

Atque utinam pares nobis cum caeteris haereditariis Majestatis Vestrae Sacratissimae provinciis, quibus et solum obtigit felicius, et limites patent latius, et pecuniae vis major influit, vires suppeterent; zelus certe est, fuitque semper nulli secundus; sed hic quidem quanto major ferventiorque in nobis erat, tanto alacrius, urgente necessitate, tenues vires Nostras summo Majestatis Vestrae Sacratissimae servitio immolavimus, hacque ratione effecimus, ut impensis jam extremis mediis omnibus, nihil fere quod addi a nobis possit, in potestate Nostra reperiamus: sive enim summam praeteritorum annorum sterilitatem, sive oeconomiae hujatis, exiguos ultra quotidiani victus necessitatem fructus ferentis, rationem, sive salariorum, quae nulla potius quam exigua nominanda sunt, conditionem, sive demum aeris alieni, quo tam in publico, quam in privato premimur, gravitatem, atque ex his omnibus enatam, publice notam universalemque aeris penuriam reputemus, profecto nullibi sufficiens rebus nostris, non dicam ad cogendas pecunias, sed vel ad vitam commode degendam praesidium invenimus.

Dignetur proinde Majestas Vestra Sacratissima imbecillitatem virium nostrarum in clementissimam considerationem sumere atque hanc, quam non capa-